



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Venetias ad Jgnatium socij veniunt. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

bunalia odoratus fuisset, fuga præuertisse lictorum manus, & consilia magistratum. Quas criminatio- nes Ignatius cum non modo in vulgus, iniquorum opera sparsas, verum etiam ad Legatum Apostolicū Hieronymū Verallum, qui deinde S. R. E. Cardina- lis fuit, delatas inaudisset; non tam de sua, quàm de sociorum existimatione sollicitus, vltro ad Legatum adiit, & acriter institit, vt eorum criminum quæstio exerceretur. quod ita factum, & veritate comperta, honorifice à Legato est absolutus, incumbente in eius causæ cognitionem Gaspare Docto Legati asse- cla; qui ex eo tempore Ignatium vnice dilexit, ac sa- cratissimæ domui Lauretanæ deinde præpositus, in Societatem vniuersam plurima egregiæ voluntatis officia contulit.

Venetias ad Ignatium socij veniunt. CAP. III.

VM hæc in Italia gerit Ignatius, interim bello inter Christianos ingrauescente Re- ges, cum exercitu formidabili Cæsar per Insubrum & Allobrogū fines in Galliam irruerat. Ea fuit sociis Ignatij causa & profectio- nis maturandæ, & itineris per Thulingiam, seu Lotho- ringiam atq. Germaniam, sane incōmodo anni tem- pore faciendi. Igitur pecunia rebusque omnibus, præter viaticum & scripta, in Christi Domini gra- tiam distributis, mense Nouēbri, anno circiter post discessum Ignatij, suo quisque baculo innixi pedites viam capessunt, & quidem tanta cum alacritate ac feruore spiritus, vt ne à Iacobo quidē Laine, viribus nondum è recenti morbo recuperatis, extorqueri potuerit, quominus & pedibus ambularet vt reliqui, & inter

& inter ambulandum insuper inualida membra discruciaretur hispido in primis & horrenti cilicio. Vestitus erat omnium, vt peregrinorum & pauperum, nequaquam elaboratus, & ad modestiam submissioremq. compositus. pendeat è scapulis mantica ex corio, in qua sacra Biblia, & Breuiarium asseruabantur, & scripta, quæ diximus. Rosaria vero ad catholicam fidem vel inter ipsos hæreticos profitendam, palam gestabant è collo suspensa. Hospitium ingressi, primum omnium sine vlllo adstantium respectu, nixi omnes genibus Deo gratias agebant; eundem in egressu pariter sibi propitium precabantur. Sobria & frugalis erat mensa; oratio ac meditatio non solum in diuersoriis, verum etiam in ipso itinere plurima. sacerdotibus qui tres erant, sacrificantibus, ceteri quotidie cælesti reficiebantur pane. sermo nisi de rebus diuinis aut necessariis fere nullus. in decernendo si quid in deliberationem incideret, mira concordia: in superadis viarum difficultatibus periculisq. summa constantia & æquitas animi. Autumnales pluias tota fere Gallia pertulerunt: occurrere mox Alpes pæne obstructæ niuib; multa fuere subinde famis, frigoris, defatigationis incommoda subeunda: nihil se illis obiecit tam arduum, aut tam extimescendum, quod eorû quemquã à concepta religione, officioq. deduceret. Atq. hac disciplinæ pacisq. custodia, cum omnibus, per quorû fines transierât, populis, bonus odor in Christo fuissent; cunctis non catholicis modo, sed etiam hæreticis nouum ac religiosum agmen magna cum approbatione mirantibus, ad tertiu Idus Ianuarias anni M. D. XXXVII. Venetias ingenti omnium gaudio, & mutua gratulatione sospites ad Ignatium peruenerunt. Atq. vbi paululum è longa contetione ac lass-

ac lass-

ac lassitudine quietis est captū; statim Hierosolymitanæ provinciae cōsilia renouantur. primum omniū, rati gratiora superis fore sua studia, si ad ea summi totius Ecclesiae Pastoris auctoritas & cōsensus accederet; simul atq. hiems remitteret, tunc vel maxime sæua, Romam ire constituūt, & à Pontifice maximo iustum ad sacros ordines, titulo volūtariæ paupertatis; tum ad mansionem Hierosolymitanam, & prædicationem Euāgelij, sine vllō interdicti metu suppliciter petere. Interea Venetiis ne cessarent, atq. adeo vt quædam quasi rudimenta futuræ militiæ ponerent; publicis valetudinariis inter se distributis, ægros ac pauperes omni ope adiuuare institerunt: Confessionis & Eucharistiæ sacramēta gratis ministrare qui per sacerdotium poterant: ceteri solari iacentes; afflictos mærentesq. spe cælestium bonorum erigere; adesse animam agentibus; cunctos deniq. ad patientiam, fidemq. adhortari: nec modo spiritualibus officiis fungi certatim; sed ne vilissima quidē ac seruilis, corporibus pauperum curādis, defugere ministeria; sternere lectulos; euerrere sordes; purgare scaphia; cadauera defunctorum rite curata humi condere; interdum pariter noctuq. omnibus præsto esse tāta cum alacritate ac diligentia; vt cuncti obstupescerēt, vulgatoq. rumore, principes etiam viri ad spectaculum conuenirēt. Quibus in officiis cum aliorum omniū, tum Xauerij præcipue caritas ac virtus enituit. Is cum in quemdam incidisset morbo Gallico misere deformatum, atq. ad eius aspectū exhorruisset; vt ea re infringi ac debilitari sensit caritatem in proximū, ita repente in semetipsum excāduit egregius Christi miles, vt manantem saniem ex vlcerebus purulentis (cuius rei vel mentionem aures delicatæ refugiant)

obsir-

obfirmato animo, semel iterumq. non dubitarit ex-
 fugere. qua re non modo se ipsum in præsentia præ-
 clare vicit, sed etiam in omne tempus propriam quam-
 dam atq. perpetuam in elephantiacos atq. vlcerosos
 clementiam & misericordiam est consecutus: quam
 deinde, vbicumq. terrarum fuit, quotiescumq. se de-
 dit occasio, diligenter exercuit. Quidam etiam è so-
 ciorum numero, pauperem lepra toto corpore coo-
 pertum, cum præfectus no socomij non admitteret,
 in suum lectum accepit ipse: cumq. mane surrexisset
 cunctis ingemiscentibus eadē ipse quoq. morbi fœ-
 ditate correptus; postridie nō sine miraculo prorsus
 illæsus atq. intactus apparuit. Hæc & alia eiusmodi
 veræ pietatis & officij documēta cum in ea vrbe de-
 dissent (quorū ibi grata in multos annos deinde me-
 moria viguit) appetente iam vere, vt condixerant,
 Romam cuncti fere præter Ignatium, discessere. Ipse
 tum ad parta in Domino retinēda, tum ad expediē-
 da quæ ad nauigationem pertinerēt, ibidem interea
 substitit. Atque illi quidem eadem fere disciplina,
 quam supra diximus, iisdemq. imbrum difficultati-
 bus, iter ingressi; ad superiorem parcimoniam ac fru-
 galitatē illud etiā addidere, vt neq. vlllo prorsus via-
 tico, diuinæ tantum prouidētiæ bonitatisq. fiducia,
 Romam vsq. contenderēt: & quia tum Ceneralium,
 seu Quadragesimæ tempus erat; quotidie, quamquā
 in tātis laboribus, ritu catholico ieiunarēt. Nec sane
 defuit illis & exercendæ spei, & Christi Domini ino-
 piam ac perseuerātiā aliqua saltem ex parte imitādi
 materies: acciditq. aliquando, vt cum panis dūtaxat
 frustulum singuli mane sumpsisset, imbre dēsissimo
 stagnātibus late cāpis, vt alicubi pectore tenus aqua
 pertingeret, nullo præterea cibo, millia passuū ferme

triginta

triginta nudis pedibus vno die peregerint, & quidē
 incredibili non modo tranquillitate animi, sed etiā
 hilaritate psallentes. Diuersorijjs vero cum propter
 inopiam excluderentur, & ad publica xenodochia
 de more confugerent, quamuis oppido lassī, tamen
 ijs quæ supra diximus, caritatis muneribus funge-
 bantur: seq. ipsi domare ac vincere magis magisque
 nitebantur in dies. Sane Rauennæ quidam ex ijs cū
 hospitalis lectuli sordes, ac manantia tabe stragula
 nauseabundus vitasset; quæ prima deinde occasio
 data est suimet puniendi, non prætermisit. In pago
 nescio quo pauper pthiriasi consumptus è vita mi-
 grauerat. cum in eum pagum nostri venissent, distri-
 butisq. cubilibus nullum iam superesset, nisi quod
 pthiriacum fouerat; Pater ille amissam nuper pal-
 mam recuperare vehementer exoptans, nudus illico
 per summum animi ardorem eòsdem subiit lodices,
 ibique sese identidem versans, cum ingentes anima-
 lium greges ea tota pauisset nocte; ad sudorem vsq.
 defatigatus, non leues ab se prioris fastidij ac deli-
 ciarum pœnas exegit. Denique sanctam Urbem in-
 gressi, vt sacra Apostolorum limina, & præcipuæ
 religionis templa caste obierunt; à Petro Ortizio
 Hispano Cæsaris procuratore ad Pontificem maxi-
 mum introducuntur. Is erat eo tempore Paulus III.
 è gente Farnesia, cuius nomini plurimum vtiq. no-
 stra Societas debet. Consueuerat autem super men-
 sam non fabulatores aut mimos inducere, sed præ-
 stantes philosophos atque Theologos; & ipsemet,
 veritatis indagandæ atq. illustrandæ causâ ponere
 de quo inter se disputarēt. ea erat grauissimi senis &
 prudentissimi Principis oblectatiō. Ad has ergo di-
 scussiones post pedum oscula Patres adhibiti, cum
 G egregium

egregium qua Christianæ humilitatis atque modestiæ, qua eruditionis & ingenij specimen præbuis-
sent; non modo quæ volebant de sacerdotio, deque
Hierosolymitana prouincia, libenti atque appro-
bante Pontifice impetrarunt, sed insuper pecunia
ab eodem instructi, & fausta cum prece dimissi sunt.
Ad quam deinde pecuniam cum è nationis maxime
Hispanicæ collatione accessisset quod aureorum
amplius ducentorú summam expleret; socij ne quid
ex eo viatico præterquã in ysum votiua nauigatio-
nis attingerent, apud mēsarios pecunia omni depo-
sita, & Romæ victum emendicantes, admirabile de-
dere spectaculum ijs qui corã Pontifice differentes
illos audierant: & deinde quemadmodū venerant,
sic Venetias prorsus egentes ac vacui reuerterunt.

*Sacris initiatur Ignatius: & de rebus ab eodem &
socijs in Veneta dititione gestis. CAP. IV.*

POST hæc, diligenti adhibita preparatio-
ne, cum ad eiusdem Legati Veralli pedes
perpetuæ paupertatis & castimoniæ nū-
cupassent vota, diuini amoris igne succē-
si, mirante, ac maiorem in modum approbante po-
pulo, sese denuo ad pristinos illos labores, & assi-
dua pauperum ministeria retulerunt. Deinde in exi-
tu mensis Iunij diui Ioannis Baptistæ die natali,
Ignatius, & reliqui laici per omnes ordinum gradus
ad apicem sacerdotij ab Arbensi Episcopo euecti
sunt, tanta non modo ipsorum, sed etiam Episcopi
iætitia & animi voluptate, vt sese inter eiusmodi cę-
remonias nihil vnaquam simile sensisse affirmaret.
Interea Patribus neque in eam diem vlla fuerat in
Palæsti-